TRYPHIODORI AEGYPTII

Grammatici, & poëtæ, Ilij excidium.

Iano Peluſio Crotoniata interprete.



Parmæ Typis Eraſmi Viothi. M. D. XCII.

Permiſſu Superiorum.

AD LECTOREM·

Crotoniata lector
Non dat tibi talenta
Crœſi, Midæq; gazis:
Sed hunc breuem libellum,
Qui dextera & ſiniſtra
Fundit, pluitq; odores,
Floresq; ſuaue olentes
Phœbi, & nouem ſororum.
Non hic leges Gigantes
Ioui necem minari,
Nec Herculis labores,
Thebæq; centiportæ
Pugnata bella quondam:
Sed Ilium Deorum
Opera, manuq; factum,
Virtute non Atridæ
Maioris, aut minoris,
Ducumq; fortiorum
Immanibus duellis:
Sed dirutum probroſi
Dolo malo Sinonis:
Et artibus Pelaſgis.
Iuxta videbis actam
Priamum iacere truncum,
Pereuntes & igne Troia,
Carere terra, & igne.

TRYPHIODORI AEGYPTII Grammatici, & poetæ, Ilij excidium.

IANO PELVSIO CROTONIATA INTERPRETE.

ARGVMENTVM.

Graiugenæ feſſi bello, feſſiq; labore,
Inſtar montis equum diuina Palladis arte
Aedificant: Troes decepti fraude Sinonis,
Illum per Scææ diſruptæ limina portæ
Intra vrbem ducunt. Per amica ſilentia Lunæ
E Tenedo redeunt ad littora nota carinæ,
Et iunctæ Ducibus, quos pinea clauſtra tenebant,
Inuadunt vrbem ſomno, vinoq; ſepultam,
Ciuibus & cæſis, vaſtant à culmine Troiam.

HORRIBILIS belli finem, longosq; labores,
Atque dolos Danaûm ſub equina mole latentes,
Palladis auxilio Argiuæ quam fecit Epeus,
Dic mihi Calliope, nulliſq; ambagibus vtens,
Martis Enyalij pugnas, ſtragesq; virorum
Troiani belli, memora properante camœna.
Iam tandem obſidio decimum confecerat annum,
Deſierantq; Duces ſæuire in prælia ferro,
Atque tot abſumptis communi Marte maniplis,
Ceſſantes haſtæ per Dorica caſtra, domosq;
Iliacas, ſpreta belli ratione iacebant:
Thoracum nil vſus erat, gladijq; coruſci
Nulla minabantur lethalia vulnera, nulla
Spicula torquebant arcus: compage ſoluta
Ferratos clypeos laxarant vincla: nec vllus
Armorum fulgor campo radiabat aperto,
Aut procul emiſſæ feriebant ſcuta ſagittæ.
Quin & equi ſocios alij in præſepibus ægris,
Aurigas alij traiectos corpora telis,

Demiſſi caput in terram lumenq́, gemebant.
Actorides fuerat falſa ſub imagine cæſus
Armorum, Aeacides violentum fulmen in hoſteis
Occiderat, iuxta confoſſus Apollinis aras.
Antilochumq́, ſenex Neſtor lugebat ademptum:
Aemonia Hypſiphidem: ſpatioſa Meriona Crete.
Teucrorum vero terror Telamonius Aiax
In media ſylua (Furijs vltricibus actus)
Sangine Dardanium proprio tepefecerat enſem.
Nec miſeri Troes plorabant Hectora tantum,
Ter patris ante oculos raptatum mœnia circum,
Sed ſocios etiam pro libertate peremptos
Vrbis Dardaniæ. Lycij Sarpedona flebant,
Quem genitrix enixa Ioui, cum milite multo
Miſerat auxilio Priamo, Troiæq́, ruenti,
Sæua Menetiadæ ſed truſerat haſta ſub Orcum:
Rheſo etiam Thraces cæſo ſub nocte doloſa,
Ante ſuos quam poſſet equos ad Pergama ferre,
Ad tumulum inferias, & triſtia dona ferebant.
Ipſa necem propter nati Tithonia coniux
Celeſtem ſubijt nubem, triſtisq́, diei
Abdiderat lucem, ſæuum teſtata dolorem.
Agmen Amazonidum dextras exurere mammas
Cui mos, & forteis ad prælia poſcere turmas,
Inſignem bello lugebat Pentheſileam,
Obſeſſam ad Troiam de Thermodonte profectam,
Fœminea quæ ſæpe manu dare terga coëgit
Bellantes Danaos, Agamemnoniasq́, phalanges:
Solus eam ſed enim victricem cuſpidis ictu,
Matre Dea natus Thetide interfecit Achilles.
Et ne præda lupis fieret canibusq́, per agros,
Iuſſit inhumari ſpoliatam fortibus armis.
Stabat adhuc valido murorum robore firma
Troia Deûm fabricata manu: mora lenta necabat
Argiuum populum: confecta labore Minerua,
Indefeſſa licet, fruſtra ſudaſſet: iniqui
Ni vates Helenus faſtum, tedasq́, peroſus
Deiphobi, e Troia Danaos fugiſſet ad hoſteis,
Monſtraſſetq́, viam, qua Troas vincere poſſent:

Scilicet

Scilicet id ſperans gratum fore munus Atridæ.
Namq; ſuæ patriæ poſtremam inſtare ruinam
Ora Deo plenus cecinit. Data fata ſecuti
Graiugenæ, longo finem impoſuere duello,
Iliacasq; domos exuſſit Achaicus ignis.
Venerat interea e Scyro fortiſſimus heros
Filius Aeacidæ, & laudatę Deidamiæ,
Nondum vernabant tenera lanugine malæ,
Et patris immenſum ſpirabat robur, & iram:
Ac nullum fugiens belli pro laude laborem,
E Troia voluit ſimulachrum adducere Achiuis
Palladis intactæ ſacrum, & venerabile donum.
Tum monitu Aegiſonæ Diuæ ingenioſus Epeus
Immanem faciebat equum, lethale futurum
Exitium Priamo regi, Phrygibusq; colonis:
Lignaq; cædebat nemoroſæ in vallibus Idæ,
Vnde prius Paridi conſtruxerat ipſe Phereclus
Naues principium belli, cauſamq; malorum.
Ergo cauans vaſtum latera ad latiſſima ventrem,
Aptauit, quanta eſt ampliſſima nauis, vtrinque
Quum remis agitur, rectaq; æquauit amuſſi
Omnia, quæ poterant tantam complectier aluum.
Deinde cauo fixit ceruicem pectori: & apte
Purpuream fulgente comam commiſcuit auro,
Quæ vincta egregijs nodis, de parte ſuperna
Per totum collum mire ſinuata fluebat.
Impoſuitq; oculos cyclis poſt iſta duobus,
Ex glauco Beryllo, ſanguineoq; Amethyſto.
Commiſtis igitur glauco rubroq; colore,
Aſpectus fulgebat equi, fundentibus ignem
Luminibus dextra & læua: (mirabile viſu)
Ex puro argento conantes mandere frenum
Tornauit dentes, malisq; infixit vtriſq;.
Clamq; vias oris magni patefecit, vt inde
Spirandi incluſis eſſet conceſſa poteſtas:
Per nares etiam manabat anhelitus almus.
Aures temporibus rectas aptauerat ambas,
In ſtatione ſua vigiles, ſemperq; paratas,
Vt poſſent audire tubas, lituosq; ſonanteis.

Coniunxit latera, & dorſum, ſpinamq́; rotundis
Sed teneras coxas aſtrinxit clunibus: autem
Ima trahebatur pedis ad veſtigia cauda
Demiſſa, intorta qualis propagine vitis.
Nec plantæ genibus maculoſis innitentes,
Ad celerem curſum meruiſſent. abſq; parari
Alis: hinc illinc ni ſtare neceſſe fuiſſet.
Tibiæ erant factæ flauente ex ære, ſed ipſas
Dura magis ferro inuolucris teſtudo tegebat,
Vix ſola tangentes ferro ſolidungulo: at intus
Ianua clauſa latet, nec lignea ſcala videtur:
Illa vt equi lateri ſinuoſo ſemper adhærens,
Inſidias intra Danaûm portaret & extra:
Hæc vt aperta viam facilem præſtaret Achiuis,
Scandere ſeu ſurſum, ſeu ſe deferre deorſum,
Vellent ex aluo tot corpora clara tegente.
Poſthæc ceruicem eximiam, malasq́; decenteis
Floribus ornauit chalybis, pulchroq́; lupatum
Adijciens ori, freni circumdedit orbes
Aeris, & argenti maſſa, ſectoq́; elephanto.
Tantæ molis equum poſtquam perfecit Epeus
Ad rectam totum faber ingenioſus amuſſim,
Vnicuiq; pedum rotulam ſubiecit: aperto
Tractus vt in campo, nimium verſatilis eſſet,
Atque viam facile ingrediens, intraret ad vrbem.
Sic horrore quidem multo, multoq́; decore
Effulgebat equus, quem Mars conſcendere nunquam
Ipſe recuſaſſet, ſi illum feciſſet Epeus
Arte ſua viuum, & per florea prata vagantem.
Dum vero fieret, muros erexerat author,
Ne prius aſpiceret quiſquam, vel ferret in auras
Inſidias Danaûm, quam Troiæ intraſſet in vrbem.
Poſthæc Argolici Proceres abſque agmine plebis,
Ad nauem veniunt Agamemnonis, ante vocati
Concilium ad ſacrum. Faciem Dea Pallas & ora
Præconis ſumens cauti, fandiq́; periti,
Dulichio aſtabat conſultrix ſtrenua Vlyſſi,
Illius intingens mellito nectare vocem.
Conſilijs voluens mentem cæleſtibus ipſe,

Eſſe putabatur primum delirus, & amens,
Lumen humi figens: vultuq; immobilis hærens.
Sed ſubito reſerans verborum ex arce dolores,
Horribile eſt viſus iaculari fulmen ab ore:
Dein veluti de fonte ſacro Hippocrenidos vndæ,
Melliſluæ effudit magnum niuis agmen, & inquit.
Magnanimi Proceres Martis certiſſima proles,
Durateus quadrupes tandem eſt perfectus ab omni
Parte hominum manibus, ſed Diuæ Palladis arte.
Si ſpes vincendi poſita eſt in robore, & armis,
Non tamen abſque dolis, per quos ſtat bellica virtus:
Qui intrepido eſt animo miles, qui pectore firmo,
Hic me quæſo Ducem, & comitem mora nulla ſequatur.
Non decet hic fruſtra longum conſumere tempus,
Nec ſine felici per caſtra ſeneſcere fine:
Sed dum fata ſinunt, dum cœli veſcimur aura,
Nec feralis adhuc ſtamen ſecat Atropos harpe,
Aeternam factis nobis acquirere famam,
Dedecus & pulchro letho vitare pudendum.
Graia quidem melior res quam Troiana videtur,
Antiqui colubri ni forte & paſſeris eſtis,
Ac nidi in platano miſera cum prole parentis
Occiſæ immemores nobis ſpectantibus: augur
Si vero noſter Calchas tot diſtulit annos
Occaſum Troiæ, & decimo fore dicat vt illa
Victa cadat: vates Helenus cui Phœbus Apollo
Ante alios præſcire dedit, venturaq; noſſe
Tempora, & Argolicæ genti memoranda referre,
Excidium Troiæ claro denunciat ore,
Victoresq; canit Danaos, claſſemq; Pelaſgam.
Ergo mihi egregij Proceres parete monenti,
Ac potius parete Deo, parete fatenti
Vera Heleno Phœbi pleno, gnaroq; futuri:
Et Danaûm dum rebus adeſt Tritonia Pallas,
Imbelleſq; Phryges Fortuna aduerſa fatigat,
Hanc alacres aluum reges ſubeamus equinam,
Vt deluſa dolis noſtris Troiana iuuentus,
Hanc immanis equi pulſantem ſydera molem,
Quum ſciat eſſe Deæ votum luſtrale Mineruæ,

Sponte ſua ducat celſæ ad faſtigia Troiæ.
Prôh ſcelus infandum? Ledæa virgine prædo
Abrepta, & Spartam blande populatus adiuit
Pergama? & incolumis repetens quas legerat vndas,
Illiacas thalamos Argiuos vexit ad vrbeis?
Haud equidem Inachij ſi nos genuere parentes,
Atque ſumus vere Graiæ telluris alumni,
Vel nos læſa premunt facili connubia raptu,
Per mare ſemiuirum volitaſſe ſinemus inultum
Claſſe Phrygem? ſunt & nobis nautæq́, ratesq́,
Sunt animi, & vires, ſunt fortia pectora bello.
O Proceres, Proceres ſi tales eſſe volemus,
Quales eſſe decet Proceres Mauortis in armis:
Nos quoque Pergameam Troiam capiemus vt olim
Amphytrioniades monſtrorum terror, & horror,
Ob ſibi cornipedes à Laomedonte negatos.
Semiuiris Phrygibus mecum concurrere in vrbe
Audete: audenti Proceres res ardua nulla eſt.
Mens eadem cunctis, animusq́, ſit omnibus idem,
Vlciſci thalamos violatos pace ſequeſtra
A Duce Dardanio: facta hæc iniuria lecto
Spartano, haud ſecus ac proprio ſit facta cubili,
Quiſque animo doleat: nec ſolos tangat Atridas
Iſte dolor: facto tam turpi lędimur omnes,
Lædimur, & patimur ſpurciſſima probra priores
Immerito: mihi quiſque ſuas inſurgat in iras,
Inuadatq́, Phryges dapibus, vinoq́, grauatos,
Hicq́, ſuum tingat Troiano ſanguine telum,
Et mihi promiſſas verbis in littore vires,
In pugna præſtet factis tela inter & hoſtes.
Vos alij vero ex acta laxate rudentes,
Propriaq́, extructis tentoria perdite flammis,
Ac vacuum Ideæ linquentes littus arenæ,
Approperate domum, vaſtum maris æquor arantes
Confictum ad reditum, vicina ad littora donec
Vobis collectis per amica ſilentia Lunæ,
De ſpecula det ſigna Sinon (vt dixerat) igne.
Tunc mihi certatim remos lentate ſub vndis,
Nullaq́, ſegnities eneruet brachia, nulla

Vos mora detineat, tenebræ vel noctis opacæ
Incutiant animo vanum per membra timorem.
Sit pudor ingenitus cunctis virtutis auitæ,
Atque amor innatus laudis, nec quilibet vnquam
Dedecoret longo quæſitam tempore famam:
Vt poſt exhauſtos terræq́ mariſq́ labores,
Quiſque ſuo capiat digniſſima præmia agone,
Hoſtis equos, tripodas, fulgenti ex ære lebetes,
Ac longo Teucris quæſitas tempore gazas,
Ducat & Iliacas ad ſtamina Graia puellas.
Sed quod debueram vobis ego dicere primum,
Troiani vobis perſoluent corpore, veſtri
Sanguinis effuſi pretium, raptuſq́ piabunt
Famoſi Paridis, Spartanæ & virginis auſus.
Hæc vbi dicta dedit Graijs Laertius heros,
Exilijt ſtipante ſenum, iuuenumq́ corona.
Tota Ducum ſeries fremuit, ſuper æthera tollens
Conſilia, & fidos monitus Ithacenſis Vlyſſi,
Aeternam cupiens factis extendere famam.
Atque æquare patris laudes, nomenq́, decuſq́.
Aeacides Pyrrhus, primus percepta faceſſit
Verba: velut pullus celerans per prata volatum,
Et ſtrato, phaleriſq́ nouis elatus, acerbi
Præuenit & ſcuticam ſeſſoris, & aſpera verba.
Facta Neoptolemi Tydides tollit in auras,
Et iuuenem miratus, erat quia talis Achilles,
Conſequitur, monſtriq́ caua ſe condit in aluo.
Fecit idem fortis Cyanippus, pulchra Comætho
Quem Tydei quondam tedas ſortita iugaleis,
Eſt enixa quidem forti Mauortis in armis,
Sed (placito Diuûm) vitæ breuis Aegialeo.
Affuit huic operi in primis Menelaus Atrides,
Deiphobum cupiens vlciſci: captus amore
Qui Paride extincto, & Troia prohibente, Lacænam
Duxerat vxorem mœchus, raptorq́ ſecundus.
Egregius curſu facta hæc imitatus Oili eſt
Natus, adhuc retinens prudenti in pectore ſenſum,
Nec ſtuprum verſans animo, raptumq́ puellis.
Hæc eadem excierant tantæ ad præconia laudis

Idomenæa Ducem, toto haud albente capillo.
Cumq; his Neſtorides ibat fortis Thraſimedes,
Et Telamone ſatus Teucer, non vltimus inter
Argolicos Proceres, ſeu tendere viribus arcum,
Seu potius cuperet membra exercere palæſtra,
Corporeq; Eumelus pollens, animoq; Cebetes.
Poſt hos Teſtorides Calchas properabat, vt augur
Præſcius excidij Troiæ, ſortisq; futuræ:
Nouerat hac etenim capturos machina Achiuos
Pergama, & Iliacam ſinuoſa ad littora prædam
Vecturos Phrygijs humeris. ſe iunxerat iſtis
Antyclus Ortygides, quem functum munere vitæ
Graia cohors lugens, in equo tumulauit eodem.
Nec duo Theſidæ tantos fugere labores
Demophoon, Achamasq; trucis duo fulmina Martis.
Peneleusq; Megesq;, ac Antiphates Agapenor.
His etiam Amphidamas ſe miſcuit, Eurydamasq;,
Magnanimi Peliæ de ſanguine natus vterque.
Alter & Amphidamas pharetra præſignis, & arcu,
Et ne forte loquax habear, ſi ſingula dicam:
Ipſe ſuum conſcendit opus poſtremus Epeus.
Poſt hæc belligerę facientes vota Mineruæ,
Ibant ad nauem, quam fecerat author equeſtrem.
Attulit his epulas Diuûm Dea Pallas, & illas
Ambroſia infecit, ne tota luce manentes
Abſque cibo, ad pugnas exhauſtis viribus eſſent.
Nec ſecus ac quando nebularum frigore cælum
Vis niuis addenſans, operit terga aſpera terræ,
Poſt liquefacta ruens, tumidum fert flumen ad æquor,
Exiliunt de rupe feræ, celeriq; volatu
Et nemus, & nemoris ſalebras, & luſtra relinquunt,
Ac ſtrepitum horrentes montani fluminis, vna
Ad cęcas fugiunt caueas, cęcasq; latebras,
Semianimesq; metu, & pallentes morte futura,
Hic tacitæ expectant, donec fluat agmen aquarum.
Sic in equo Danai per concaua texta ruentes,
Suſtinuerę graues non tota nocte labores,
Auribus arrectis captantes aera, fidens
Si forte Aeſimides laxaret clauſtra, vel ipſe

Atrides

Atrides curuo de littore duceret agmen.
Poſt prægnantis equi poſteis valido obijce clauſit
Ianitor occultæ fraudis Laertia proles,
Inq; loco ſummo ſedem vt ſpeculator habebat.
Maior at Atrides dederat mandata miniſtris,
Vt lapidum vallum, quo cingebatur equeſtris
Machina, deijcerent ferro telluris ad æquor.
Nudatam ſiquidem cupiebat linquere molem,
Ipſa ſuam vt faciem melius, ſpeciemq; nitoris
Vndiq; conſpicua, atque patens, oſtenderet hoſti.
Illi autem ſubito fecerunt iuſſa tyranni.
Aſt vbi Sol abiens caput occultauit Eoo
Oceano, & tenebras terris induxit inerteis:
Hæc eſt præconum populum vox ſparſa per omnem.
Extemplo naueis vt ſolueret, atque rudentes
Nauita, & ardentem vallo ſupponeret ignem
Miles, humi ſternens tot propugnacula, totq;
Aggeribus ſeptas turres. De littore claſſis
Rhetæo ſoluens, velum ſinuantibus auris,
Cçruleas tentabat aquas Athamantidis Helles.
Sponte ſua ſolus fçdatus vulnere corpus
Reſtitit Aeſimides vir fraudulentus, & heros
Ante alios fallax homines, quot terra creauit,
Inſidias Troiæ falſa qui mente pararet,
Et Danaûm fraudes abſconderet arte Pelaſga.
Nec ſecus ac pauidis quum tendunt retia ceruis
Venantes, ſyluæq; vagi loca denſa pererrant,
Impelluntq; feras ad technas ante paratas,
Vnus frondifero latitat ſub tegmine, & inde
Intentis oculis venatica retia ſeruat.
Sic tunc ipſe Sinon ſignatus ſtygmate membra,
Et verſare dolos primis aſſuetus ab annis,
Ciuibus exitium Troianis triſte ſtruebat.
Sponte ſua cæſus quum multo verbere, multus
Fecit vt ex toto manaret corpore ſanguis.
Flamma vorax circum tentoria nocte furebat
Interea, immenſum ructans ad ſydera fumum,
Illi namq; dabat vires Vulcanus, ab antro
Aetnæo immittens varias ſine more procellas.

Iudicio Paridis Teucris inſenſa quoque ipſa
Iuno vrgebat opus Saturnia, lucida mater
Tardipedis pariter fabri, immortalis & ignis.
Vix ipſa expulerant nigram crepuſcula noctem,
Humenteisq́ Aurora polo dimouerat vmbras,
Fama rei tantæ Teucrorum venit ad aures,
Neſcio quid referens hoſtile, haud abſq; pauore,
Argolicas abÿſſe rates, & caſtra cremari.
Panduntur ſubito portæ, peditesq́ equiteq́,
Effuſi in latum campum, littusq́ relictum,
Explorant Idæ valles, ne forte laterent
Illic inſidiæ, aut alibi dolus eſſet Achiuûm.
Parte ſenes alia Priamo cum rege iugales
Feſtinanter equos iungentes curribus, vna
Hoſtile ad vallum ſpatioſa ex vrbe ruebant,
Et præ lætitia ad culmen ſtellantis olympi
Tollebant cum rege manus, Bellona, feroxq́,
Quod Mars Troiugenas reliquos ſeruaſſet, & vrbem
Quam Diuûm fecere manus mira arte, viderent
Stare ſuam incolumem, belli obſidione ſoluta.
Non tamen ad longum ducturi hæc gaudia tempus
Troes erant: ſiquidem decreta immota manebant
Parcarum: nec talis erat Iouis illa voluntas.
Immenſum ſed corpus equi, & mirabile textum
Intuiti, extemplo cuncti circum vndiq́ fuſi
Mirantur, veluti obſtreperi Iouis alite viſa
Gracculi in annoſa quercu, vel vertice ſaxi,
Poſt circum ſtrepitant alis, & gutture clangunt.
Conſilium ſed enim Troianis incidit anceps,
Atque per ora fremor varius turbata cucurrit:
Namque alÿ feſſi bello, longoq́ labore,
Hoc opus exoſi, quod rex feciſſet Achiuûm
Calchantis monitu, & ſcelerum inuentoris Vlyſſi,
In mare vel præceps alta de rupe volebant
Mittere: vel validis aperire ſecuribus aluum:
Vel medio in campo ſubiectis vrere flammis:
Aſt alÿ quorum (fato impendente) Minerua
Iliadum ob Paridem natis aduerſa, mouebat
Pectora, cenſebant Diuis debere ſacrari,

Græcorum

Græcorum foret, vt ſignum, belliq; peracti.
His dum conſultat de rebus, & omnia verſat
Conſilia in Peius miſtus cum plebe ſenatus:
Deformata gerens vir quidam membra, per amplum
Incedit campum nudus, miſerandus & hoſti.
Vibices fœdæ, nigroq; cruore tumentes,
Late oſtendebant veſtigia dira flagelli.
Quum ſtetit ante pedes Priami ſcelus, ora priuſquam
Solueret, attollens oculos ad ſydera flentes,
Supplicibus manibus genua attigit, atque ita Regem
Orans Priamiden, promebat verba doloſa,
Queîs illum, & ciues Troianos cingere poſſet.
Si miſeratus eris Graijs e gentibus vnum,
Et ſeruatorem Troiæ ſeruareris vrbis,
Inſenſum vero Danais crudeliter hoſtem,
O rex Dardanidûm genus alto á ſanguine Diuûm,
Soſpes eris; ſemper tua Troia antiqua manebit:
Atque vltro Hectoridę Pelopëia regna, domosq;
Claſſe petent, captamq; ferent ad Pergama prædam.
Sic me læſerunt Græci, non tale merentem
Supplicium, veriti nequidquam numina Diuûm,
Improbi, & immites ſemper, ſemperq; parati
Perdere quem norunt ſumma virtute nitere
Ante alios Proceres, aliosq; Heroas Achiuos.
Sic etiam Aeacidæ rapuerunt munus honoris,
Atque Philoctetem ſomno, morboq; grauatum
Liquerunt alta in Lemno: fallacis Vlyſſi
Inſidijs, animam letho abſumpſere pudendo
Naupliadæ, nulli bellorum laude ſecundo.
Me quoque ne deeſſet quidquam crudelibus auſis,
Atque animum explerent diris cruciatibus, hiſce
Affecere malis, ſecum quia tendere ad Argos
Claſſe recuſaui, ſociosq; manere volebam:
Ac mea cædentes taurinis corpora loris,
Et faciem fœdo turpantes vulnere, ventis
Flantibus à tergo laxarunt lintea, meq;
Deſeruere truces peregrino in littore nudum,
Laomedontiadis mactandum morte cruenta,
Quod te per natos, per celſæ mœnia Troiæ,

Per

Per quæ te fecit tam pulchra prole parentem,
Rex generoſe preces oro ne temne Pelaſgi
Supplicis, ac miſero vitam concede precanti,
Et miſerere mei non digne hæc probra ferentis:
Lætus erit Graius populus, lętiq́; Pelaſgi
Primores, ſi me captum peryſſe tuorum
Audierint manibus. Verum rex maxime regum
Poſt tibi ſponſor ero, ratibus non amplius vncis
Per mare venturos ad Dardana littora Graios,
Viribus aut auctis, multo maiore paratu,
Exinſperato petituros Pergama bello.
Ora, ſinusq́; ſcelus lacrymis ſuffuſus obortis,
Dixerat hæc. Priamus miſeratus fata querentis,
Dat dextram miſero, & verbis ſolatur amicis.
Hoſpes pone metum, noſtris es tutus in oris,
Et tibi parta quies, nec me viuente timebis
Argiuos in te nulla ratione furentes.
Aequo iure mihi tractabere ciuis vt alter,
Tu modo peruerſos ritus, legesq́; prophanas
Exue Gręcorum, & Troianos indue mores,
Noſter amicus eris, nec te tua rura videndi,
Nec patriæ capiet redeundi ad tecta cupido.
Atqui age tu contra, mihi diſſere vera roganti,
Quid monſtrum hoc immane petit? quis ſtruxit & author
Corpus equi hoc inquam portentum grande timoris?
Dic etiam genus vnde tuum, quo nomine gaudes
Argolidas inter pedites, equitesq́; vocari:
Vel potius quis te caſusq́;, Deusq́; per vndas
Egere huc tantis fœdatum corpora plagis.
Reddidit hæc illi reſponſa vaferrimus heros.
Eloquar hoc etiam, me quando ad talia cogis,
Ac tibi quærenti vera ordine cuncta retexam.
Mi patria eximium eſt Argos, nomenq́; Sinonis,
Aeſimon genitor bello præclarus, & armis.
Ex Argo naues huc me vexere Pelaſgæ
Sponte: mihi plagas infligere iuſſit Atrides
Maior, & immitis populorum euerſor Vlyſſes.
Hanc immanis equi molem fabricauit Epeus,
Ante quidem Græcis prædictam voce Deorum.

Si vos in campo ſueritis eſſe relictam,
Noctes atque dies vento vt pulſetur, & imbre,
Fatale eſt Græcos capturos mœnia Troiæ.
At ſi (quod moneo, atque hortor pro viribus omneis)
Hæc eadem ruptis muris intrabit ad vrbem,
Atque illam in templo ſuſceperit alma Minerua,
Ad patriam fugient ob bella infecta Pelaſgi.
Et ne forte metu me talia dicere credas,
Teſtoridæ vatis tibi rex oracula pando,
Atque tui nati: Danaos qui venit ad hoſteis
Sponte ſua, patriam fugiens, patrioſq; penates.
Ergo agite æratis innectite colla catenis,
Et ſacram hanc ſtatuam, frenoq; auroq; nitentem,
Pertrahite intra vrbem, venerandæ ad Palladis arcem,
Hęc vbi, conticuit, preſſoq; obmutuit ore.
Nil hoſtile timens Priamus rex mitis, Achæum
Veſtiri iuſſit chlena, tunicaq; recente.
Teucrorum mora nulla, manus Vulcania vincla
Alligat & collo funes, tortoſq; rudentes:
Deinde ſuper teretes truncos, lapſuſq; rotarum
Impoſitum, toto nixu, & conamine toto,
Ad ſua damna trahit dirum, & damnabile monſtrum.
Verum dulciſonæ citharęq;, lyræq; præibant,
Sacrificiq; chori modulantes carmina, & hymnos,
Pone ſequebantur, magna ſtipante caterua:
Impubes vero pueri, innuptæq; puellæ
Palladis Argiuæ Troiano more canebant
Numen, & alipedis gaudebant tangere crines,
Dicebantq; alij, aliæ, delapſus olympo
Hic equus eſt, Siculo vel conformatus in antro
Mulciberis manibus, multo ſudore Cyclopum.
Non ſic altus Eryx, nec Dindimus, aut Erymanthus,
Aut Athos, innumeris ſecuit quem Perſa carinis.
Proh genus humanum ſtolidum, cui nocte dieq;
Inconſpecta latet nubes obſcura futuri,
Et ſi contingunt, contingunt gaudia vana,
Sed ſæpe imprudens illidit crura ſecuri.
Perniciosa comes Ate, nunc qualis ouantes
Troianos ſequitur, ſponte accerſita ruinam

In Troiæ: quantos luctus, quantosq́; dolores
Nocte fere media, tacite labentibus aſtris,
Eſt Troiæ laturus equus, quem fune reuinctum
Dardanidæ ſtulti ducunt ad Pergama tanto
Cum plauſu, & cantu. flores Simoentis ad vndas
Carpentes pueri intonſi, innuptæq́; puellæ,
Pulchra coronabant ſparſos per colla capillos
Occiſoris equi Troianæ gentis, & vrbem
Verſuri in cinerem. Porro terra ipſa gemebat
Preſſa rotis ſolido factis ex ære: ſonumq́;
Edebant axes tantæ ſub pondere molis.
Lignorumq́; dabat fremitum compago: ſed ipſa
Tracta ſolo funis complebat puluere cælum.
Ibat ad aſtra virûm clamor, ſtrepitusq́; trahentum.
Tunc nemoroſa ſuis ſtrepuit cum quercubus Ida:
Atque etiam Xanthi ſinuoſis flexibus vnda
Fluminis inſonuit: clanxit Simoeſius amnis.
Sed tuba cæleſtis bella accerſita canebat
A Paride, & ſtultis Phrygibus Lacedęmone Troiam.
Matres atque viri porrecta fronte præibant,
Quamuis ipſa foret via longa, atque aſpera valdę.
Ac fluuijs diſſecta vagis: æquale nec ipſum
Vlla in parte ſolum. Sonipes Mauortius ibat
Ad ſacras aras, oſtroq́;, auroq́; ſuperbus.
Quem Dea, quæ nomen tulit à Pallante perempto,
Brachia ſupponens coxis ex robore textis,
Impulit: ille ſuper lapſus, & tigna fluebat,
Haud ſecus ac iaculum, vel cornu emiſſa ſagitta,
Exæquans greſſu non lento Troas euntes:
Dardanias donec fatis ingreſſus iniquis
Eſt portas: anguſtus erat quibus angulus: vnde
Iuno viæ acceſſum facilem, largumq́; parauit:
Neptunus vero quatiens immota tridente
Limina portarum, parteis diſiecit in ambas.
Prôh cęcas Troum mentes? ter limine in ipſo
Fixit equus plantas: ſonitum ter clauſa dedere
Arma: cohors Teucrûm tanquam præſaga malorum
Mens foret, inceptis ter deſtitit: attamen acta
Neſcio queîs furijs, nullis eſt territa monſtris,
Sed

Sed magis inſtabat vi ſumma, & robore toto,
Vt monſtrum infelix ad ſacram duceret arcem.
Seu quia ſic nerant concordes numine Parcæ:
Seu quia ſic Troiæ, & Priami peccata merebant.
Troianæ lætam matres hinc inde per vrbem,
Promiſſæq́; viris aliæ, atque aliunde puellæ
Lucinam expertæ, fundentes carmen ad auras,
Cornipedem ſaltu, & cantu celebrare ſtudebant.
Aſt aliæ pluuia ne fędaretur, & imbre
Deſuper, in dorſo roſeos ſtrauere tapetas:
Soluenteſq́; aliæ glaucæ redimicula mitræ,
Apte connexis ornabant floribus illum:
Tunc quædam capiens habilem matrona lagenam,
Et commiſta croco fundens Bachëia dona,
Sparſit odorato telluris terga Lyæo.
Vox muliebris erat clamori miſta virorum,
Et ſtrepitus pubis iunctus cum voce ſenili.
Diuitis Oceani qualis vero aduena, & aſpræ
Serua hyemis dat turma gruum ſuper aere gyrum,
Et gruit ignorans choreas, & plauſitat alis,
Gutture prælongo clangens exoſa colonis:
Tales Troiani ſtrepitu, & clamore per vrbem
Partibus in cunctis ſaltantes ordine nullo,
Intus equum grauidum duxere ad Palladis arcem.
Fronde ſacerdotes feſta delubra Deorum
Velabant, nudiq́; caput Pęana canebant.
Tunc vrgente Deo, Priamëia virgo recuſat
Amplius in tectis ſerua vt fugitiua teneri,
Effringens igitur robuſta repagula poſtis,
More ferebatur vitulæ, quam concitat æſtrum.
Armenta, & notas cuſtodis bucula voces
Contemnens, nec potat aquas, nec pabula guſtat:
Sed iaculo transfixa, boum ſepta aſpera tranſit.
Impete fatidico talis Caſſandra pererrans
Corde, ſacram laurum quatiebat, anhelaq́; paſſim
Triſtibus implebat lętam mugitibus vrbem,
Nil mandata patris curans, nil verba ſuorum,
Iuerat in præceps ſiquidem pudor omnis ab illa.
Nec ſic Therſigeri commouit tibia Bacchi

Aemonia in ſylua, aut alto in Cytherone vagantis,
Ogigiam vatem, quæ ſancto numine plena,
Sæpe caput quaſſat cinctum vite, atque corymbis.
Vt tunc exiliens erranti mente puella,
Nunc huc, nunc illuc curſans Caſſandra furebat:
Tandem percutiens pectus, flauosq́ capillos
Vngue ſecans, taleis effudit ad æthera voces.
O miſeri ciues quæ vos dementia cepit?
Quis mentem furor exagitat? quæ vexat Erinnys?
Et mens læua? manu veſtra ducatis ad vrbem
Portentum hoc ingens, & deteſtabile monſtrum?
Vltimus iſte dies, & nox hæc vltima vobis
Naſcitur: æterno claudentur lumina ſomno.
Hic equus eſt vterum galeato milite plenus,
Et pariet vobis lethum, patriæq́ ruinam.
Nunc Hecubę edentur veriſſima ſomnia partus,
Suppliciumq́ luet quod Laomedonta manebat
Enſe Neoptolemi genitor mactatus ad aram.
Et triſte excidium Troiæ quod diſtulit annus,
Deſinet, horrendi belli obſidione ſoluta:
Gręcorum Procerum noſtræ dolus imminet vrbi,
Sub tenebris cęcæ noctis, radiantibus armis,
Quem pariet maleſuadus equus: deſcendere ab aluo
Illius, armatum mucrone videbitis hoſtem,
Et petere immenſis Troianos viribus: ipſum
Nec conflictantem cum partu, acriq́ dolore,
(Namq́ viros pariet præſtantes robore, & armis)
Partubus aſſueta edendis matrona iuuabit:
Sed fiet Lucina, ferum quæ ſtruxerat ante,
Prægnantemq́ vterum ſoluet Ioue nata virago,
Concita quæ ſtimulis irarum, ſæpe ſuperbos
Diruit à fundo muros, frameaq́ trabali
Proſternit turmas equitum, peditumq́ cohortes.
E Tenedo Graiæ naues hac nocte redibunt,
Et iunctæ Ducibus, quos moles claudit equina,
Inuadent vrbem ſomnoq́ meroq́ grauatam:
Deinde nimis longa ſatiatæ ſtrage virorum,
Euertent ſummo pinnarum à culmine Troiam.
Atqui purpureum per lubrica ſtrata viarum

Sanguinis

Sanguinis effuſi pelagus, cędisq́; recentis
Voluitur vndoſus fluctus. (miſerabile viſu)
Aenea fœmineis nectuntur vincula palmis,
Inque vtero clauſus qui nunc latet ignis equino,
Nubila tangentes turres, cæloq́; propinquas
Conſumet, Diuûmq́; vorans ſacra templa : cateruas
Inuoluet Lycias flammis, Troumq́; maniplos.
Væh mihi, væh patriæ, quam mox Pelopeius ignis
Vertet in exiguum cinerem : prôh flebile fatum ?
Troia antiqua ruit manibus fabricata Deorum,
Aequanturq́; ſolo pulcherrima Laomedontis
Fundamenta domus. Teucris tot ſecla, tot annos
Congeſtas populatur opes Argiua iuuentus.
Te miſerande fleo genitor, te lugeo mater,
Qualia (me miſeram) cerno vos ferre, patiq́; :
Tu Iouis Hercæi ſine corpore truncus ad aram
Enſe pater cæſus Pyrrhi ſine honore iacebis :
Tu genitrix præſtans natorum prole, potenſq́;
Ante alias omnes opibus, formaq́; decora,
Dulichio data ſorte Duci, poſt funera Troiæ,
Atque tot extinctos neruoſo robore natos,
In rabidam vertere canem : ſic ſancit Olympus.
Te quoque mactatam lugebo Polyxena terra
In patria : atque vtinam hic aliquis de gente Pelaſga
Me tibi iunxiſſet comitem : quid enim mihi talis
Eſt vſus vitæ ? ſi me ad peiora reſeruat
Fata ? breui noſtrum corpus teget hoſpita tellus.
Qualia dona mihi regina, & qualia coniux
Dona viro texit pro tot, tantiſq́; periclis?
Vos autem Teucri Troiæ infelicis alumni,
Pellite vana procul, mihi credite vera fatenti:
Et dum fata ſinunt, noxæ protrudite nubem,
Conſulite in medium, veſtris ſuccurrite natis,
Dum fas : meta datæ namq́; imminet vltima vitæ.
Corpus equi celans Græcorum pectora in aluo,
Rumpite vel ſaxis, vel acuto ſcindite ferro,
Vrite vel flammis, vel præceps mittite ponto :
Intereat, rogus atque ingens hic fiat Achiuis.
Tunc mihi vos choreas agite, & conuiuia lęta,

Libantes pateras pro libertate recepta.
Sed quid prohibeo fruſtra, quod ſanxit in alto
Iupiter? & certo ſtatuerunt ordine Parcæ?
Troia ruet. Deus ecce Deus vos vrget ad Orcum
Præcipites: omnes hac nocte cadetis inulti,
Atque implorati Stygias tranabitis vndas.
Non peccant Superi, non peccant fata, ſed ipſe
Cauſa mali tanti Paris, & Spartana puella.
Venit ſumma dies, venit lacrymabile fatum,
Troia perit decepta dolis, & fraude Sinonis.
Veridico ſic ipſa quidem fuit ore locuta:
Sed nemo ſanctis parebat vocibus: illam
Namque bonam vatem, & ſuſpectam fecit Apollo.
Rex Priamus pater increpuit, ſic ore minatus.
Quis malus huc Dęmon te duxit vana puella?
Confidens, nec plena Deo, nec gnara futuri?
Nam quæcunque canis, fruſtra canis, improba vates.
Inſano nondum morbo, turpiq; furore
Eſt animus feſſus? noſtris infeſta choreis
Veniſti, quando Troiæ bona tanta merenti,
Iupiter exhibuit, claſſemq; fugauit Achiuûm:
Dans libertatem, cunctis optabile donum.
Nemo arcum, aut pharetram ſumit, celeresq; ſagittas
Torquet in aduerſo pugnantes pectore Troas:
Armorumq; ſilet ſtrepitus, gladijq; quieſcunt:
Carmina ſunt nobis curæ; citharæq;, lyræq;,
Atque chori, & large poſitis conuiuia menſis:
Quas res ferre ſolet pax, aut victoria læta.
Non genitrix natum, non vxor luget ademptum
Marte virum, fratremq; ſoror germana cadentem
Aſpiciens alta e ſpecula, dat flebile carmen.
Tutelaris equum recipit Dea Pallas ad arcem
Adductum. Tu ſola ruens ex ædibus, ore
Sęua canis patri, & patriæ poſtrema minaris,
Atque vrbem lætam turbas, & gaudia tollis
Hæc noua, quæ Teucris labuntur ab arce Deorum.
O male diſpereas: nobis citharæq;, lyræq;,
Spumantesq; mero calices bona gaudia menſæ
Sint curæ: metus omnis abeſt, procul hoſte remoto.

Non Troianus eget te vana, & falſa monente:
Sic ait, & natam inſanam in penetralia ferri
Iuſſit, & innumeris arctari colla catenis,
Atque manus vinclis. Vix illa inuita parenti
Paret: plena Deo in lectum quum procidit, altum
Ingemuit, noſcens ſua fata, & fata ſuorum:
Namq; animo vt coram præſens mala tanta videbat,
In patriæ ardentis graſſantem mœnia flammam,
Et miſeros ciues pro libertate necari.
Tractus equus ſtetit in templo, ſacraq; Mineruæ
Arce, ſuper pulchris tignis, fulcriſq; politis.
Troiani mactare boues, mactare bidentes,
Nunc in odoratis aris, nunc littore in vdo,
Hæc ingrata Dei ſacra, ingrataſq; hecatombas
Spernentes, alio vertebant lumina: paſſim
Qualibet in platea conuiuia lauta, dapeſq;
Magnificæ, petulantia multa ſed omneis
Inter erat, probris inquam petulnntia plena,
Vnde hinc, atque illinc verbis iactata proteruis
Ebrietas, vino molles faciente bibentes,
Cogebat multos multis indigna minari:
Namque animi poſtquam poto caluere Lyæo,
Alter in alterius faciem iactare capaces
Incepit calices, plenaſq; euertere menſas.
Hac in ſtultitia, & luxu tota vrbe ſepulta,
Paucis excubijs portarum eſt cura relicta.
Iam Sol Oceano properabat tingere currum
Heſperio, linquens terras caligine merſas:
Nox diuina ferens vrbi excidium, atque ruinam,
Ilion, & naueis tenebris circumdedit atris.
At Venus in canum corpus mutata, Lacænæ
Aſtitit, arguta compellans voce puellam.
Pulchra tuus te Nympha vocat Menelaus in aluo
Clauſus equi, Procerum lecta cum parte, Ducumq;,
Qui pro te circum bellantes mœnia Troiæ,
Priamidas contra turmas, Lyciaſq; cohortes,
Suſtinuere graues nocteſq; dieſq; labores.
Eia age abi, nec cura tibi regina, nec ipſe
Sit Priamus, nec clade Phrygum. Troiaq; mouere

 Excidio

Excidio, aut pietas flectat te ſancta mariti
Deiphobi: iam tempus adeſt, reddare priori
Coniugi, & in patriam redeas victrice carina,
Aſpiciasq; tuos parto regina triumpho.
Hæc vbi dicta dedit fallax Cytherea, receſſit:
His Helene decepta dolis, mora nulla cubile
Linquit odoratum, nitidaq; abſcedit ab aula,
Deiphobo claudente latus, rectaq; Pelaſgas
Tendit ad inſidias vaſta ſub mole latentes.
Non ſic Euphroſine blandarum prima ſororum,
Aut Cytherea Venus niueis geſtata columbis,
Inſtat iter cælo, viſura Gnidumue, Paphumue.
Troades inſignes vultuq;, habituq;, nitorem
Virginis Oebaliæ ſtupuere: atque omnis euntem
Aſpiciens populus, putat vnam e ſanguine Diuûm,
Aut Iouis vxorem: Diuæ introgreſſa Mineruæ
Templum ingens, præſtantis equi mirabile textum,
Atque opus egregie factum luſtrabat: vtrinque
Luminibus tacitis expendens ſingula, lente
Ter ſed iens circum, & compellans ſæpe Pelaſgos,
Nomine quemque ſuo, qui fama ſydera adibant,
Illorum vxores formoſo corpore Nymphas
Voce recenſebat ſubmiſſa. Graia iuuentus
Intra clauſtra latens animum affligebat equina,
Præcipue Atrides, Helenam quum ſenſit adeſſe,
Atque loqui: flebat Tydides, mente reuoluens
Formoſam Aegialen: lugere coëgit Vlyſſem
Nomen Penelopes: ſtimulis agitatus amoris
Antyclus vxoris dilectæ Laodomiæ,
Præter tot Proceres, & reges, ſolus aperto
Ore alternantem incipiebat reddere vocem,
Sed Laertiades manibus clamantis hiatum
Vſque adeo preſſans ſtrinxit, tenuitq; prehenſum,
(Ille licet fruſtra tentaret vellere nodos,
Dulichiæq; manus de labris vincula) donec
Linqueret exanimem vitalis ſpiritus: illum
Lugentes tacitis lacrymis Proceresq;, Ducesq;
In ſtatuę poſuere caua coxendice equeſtris,
Veſtibus exanguis decorantes corpus amici.

Atque

Atque alios Graios mouiſſent verba Lacęnæ,
Aethereo delapſa polo ni Pallas ad ædem,
Horrendo aſpectu illi occurriſſet: & inde
Longius abductæ ſic ore minata fuiſſet.
Quonamuſque ò demens agitat te dira libido?
Et deſiderium thalami, externiq; Hymenæi?
Atque Ate Veneris? nondum maleſana mariti
Atridæ miſerere tui? nec ſtringit imago
Te natæ? decimus iam circumuoluitur annus,
Mœcha per vndoſum pelagus quum ſponte ſecuta
Semiuirum Paridem, fugiſti ad mœnia Troiæ,
Quid furis? & quonam Spartæ tibi cura receſſit?
Troas adhuc inſana iuuas? & funera differs
Laomedontiadæ regi? ſtultiſſima rerum
Non ſentis hos eſſe dolos, quos improba Cypris
Tendit nocte tibi, corpus mentita ſenile,
Quo poſſit ſeruare ſuos: diſcede, tuosq;
Introgreſſa lares, venientes excipe naues
Græcorum flammis. Sic fecit inania cępta
Tenariæ Nymphæ Pallas redeuntis ad ædes.
Troianos epulis grauidos, madidosq; Lyæo,
Haud leuis oppreſſit ſomnus, languentia membra
Flumine Lethæo, gelidoq; papauere ſpargens.
Muſica ceſſarat, requierant atque choreæ,
Hinc illi atque illinc fuſi, ſine more iacebant,
Crateras alij iuxta, menſasq; paratas,
Pocula nonnullis ſomno, vinoq; grauatis
Sponte ſua in terram manibus delapſa fluebant.
Sic infelices per opaca ſilentia habebat
Noctis amica quies Troas: nulliq; per vrbem
Sunt viſi latrare canes, vel fundere cantus
Nympharum ante fores iuuenes: tacita ipſa manebat
In ſe Troia vocans ſpirantes funera Graios.
Arbiter interea belli deſcendit ab alto
Iupiter, & Teucris tulit exitiale talentum,
Moxq; Agamemnonias conuertit ad arma phalanges.
Illuſtre ad templum Liciæ diſceſſit Apollo,
A ſe ſtructa gemens perituræ mœnia Troiæ.
Diqi, Deæq; omnes, quibus olim Pergama curæ,

 Exceſſere

Exceſſere ſacris adytis, ariſq; relictis,
Argos ad antiquum, diteſq; iuere Mycenas.
Aeſimides iuxta tumulum armipotentis Achilli,
Oſtendit ſignum teda lucente Pelaſgis,
Ipſa etiam ad multam noctem formoſa Lacena
Iliadas ducens Euanteis Orgia circum,
De thalamo ad Tenedum qui ſpectat, & arua profundi,
Ardentem Lycnum ſociјs monſtrauit Achiuis,
Plena velut quando fulgenti lumine Phœbe
Aurauit cœlum radiјs, facieq; decora,
Non quando exacuens creſcentis ſpicula cornu,
Orta in principio menſis tenebroſa videtur,
Vndiq; ſed lucens totum fulgoribus orbem
Implet, & oppoſitos radios ſibi Solis, & igneis
Attrahit: in noctis tenebris, & triſtibus vmbris
Ore nitens roſeo, talis Ioue nata puella,
Formoſum tollens cubitum, moderamen amicum
Lucis, ad Argiuos ſumma direxit ab arce
Flammantem faculam: lumen ſublime videntes
Lampadis Argiui, vertere ad littora proras:
Vrgebant nautæ pacata per æquora curſum,
Sperantes belli longos finire labores,
Addebantq; animos paſſim ſibi quiſque viciſſim
Claſſe ſuper nautæ, pedites Mauortis in aruis.
Ocyus impulſæ remis, Zephyriſq; ſecundis,
Dardanium littus Graiæ tenuere carinæ
Neptuni auxilio: cuncti de puppibus altis
Ad terram expoſiti, gladios, rabiemq; parabant,
Et ſine Dardaniam ſtrepitu, & clamore petebant.
Ipſi ſunt equites peditum poſt terga relicti,
Ne ſi Troas equi ſomno, vinoq; ſepultos
Hinnitu excirent, ſumptis haud ſegniter armis,
Inachidas procul arcerent à mœnibus hoſteis:
Aeſimide laxante fores, & pinea furtim
Clauſtra, Duces intus clauſi ſine lege ruebant,
Crudele exitium Teucris, peſtemq; ferentes,
Ipſæ vt apes patula e quercu, vel rupe cauata:
Quæ poſtquam dulci complerunt nectare cellas,
Occulta ceram texentes arte tenacem,

Ad paſtum fuſæ circum per florea rura,
Quicunque hac hoſpes tranſit, quicunque viator,
Eſſe putant mellis raptorem, atque agmine facto,
Illius ora petunt, & cuſpide vulnera figunt.
Sic Proceres ſe ſe fundentes molis ab aluo
Inuaſere Phryges dapibus, vinoq; grauatos,
Illosq; æterno mulctarunt frigore lethi.
Teucri improuiſo à Danais hinc, inde petiti,
Vincuntur facile à multis: pars maxima inermis
Conciditur: pars magna toro deprenſa necatur.
Sanguine terra natat: Troum ferit æthera clamor
Quærentum vitare fuga per nota viarum
Dilluuiem belli: quaſſata cadentibus ipſa
Troia cadaueribus, ſonitum dabat, atque fragorem:
Myrmidones Teucris infenſi ob funus Achillis,
Non abſque irarum ſtimulis, hinc inde ruentes,
Vt Lybici ad cędes ouiumq;, boumq; leones,
Impleuere vias numeroſa ſtrage virorum.
Troades in tectis potantes aure tumultum,
Et poſt cernentes oculis per mœnia ferri
Armatos Danaos, & cędere Troas inermes,
Aedibus in proprijs pro libertate maritis
Colla ſecanda dabant gladio: ſua dulcia matres
Pignora hirundineo deflentes more, cadebant
Enſe ſuper natos transfixæ pectora: triſtis
Ante ſuos oculos coniux occumbere charum
Marte virum ſpectans, vltro properabat ad hoſtem,
Quem ſæpe irritans probris, cogebat vt in ſe
Verteret inuitus gladium: nam cernere vultum
Nolebat victoris heri, vel vincula ferre;
Vnde (quod optauit votis) commune ſepulchrum
Cum proprio eſt ſortita viro: (miſerabile) multæ
Geſtantes vterum, partum effudere, ſuamq;
Hunc ſuper efflarunt animam, prius ore vocantes
Illas felices nimium, nimiumq; beatas,
Quæ ſteriles, ſine prole lacus Acherontis adibant,
Nec famulæ Graias tranſmittebantur ad oras.
Hinc atque inde volat Danaum dilecta iuuentus,
Et Troas dulci pro libertate ruentes

Infer-

In ferrum, flammasq́, petit: ferit aſtra tumultus
Inachius miſtus Phrygio: de vallibus Echo
Nunc Teucro ſermone ſonat, nunc garrula Græco.
Per noctem totam, totam eſt bacchata per vrbem
Vt turbo belli lacrymoſi fluctibus actus,
Sanguinis effuſi ſitiens feralis Enyo.
Huic adiuncta comes Contentio, Troas in hoſteis
Vrgebat Danaos, iterans ſæpe ore profano,
Dum per fata licet lethali extinguite ferro
Inuiſam gentem Superis, delete paratis
Omnes periuros flammis vno ordine Teucros:
Eſte viri fortes, pro vobis pugnat Iacchus,
Et qui Troas habet per ſtrata cubilia ſomnus.
Mars etiam venit, ſerus licet, attamen addens
Argiuis animum, Troiamq́, tuentibus vrbem
Auxilium præſens, vni non ſemper adhærens:
Nam modo ſe Teucris, modo ſe monſtrabat Achiuis
Fauctorem, pugnæ varians perſæpe tenorem.
Cæſia clamauit ſublimi ex arce Minerua,
Aegida concutiens, clypeum Iouis altitonantis.
Aetheris intonuit grauiter quoque tractus, ob iram
Iunonis, Phrygiam cupientis perdere gentem.
Quin etiam inſonuit tellus concuſſa tridente
Neptuni: accurrit Pluto ex terreſtribus antris,
Permetuens Ioue ne irato, & Mauorte furente
Omnes mortales nigro detruderet Orco
Mercurius, qui fert animas, idemq́, reducit.
Cuncta adeo Graijs armis quaſſata ruebant.
Vrbs intra atque extra miſcetur tota tumultu,
Fœmineusq́, ferit plangor ſtellantis olympi
Firmamenta: virûm ſed erat tunc maxima cædes.
Qui namq; ad Scææ fugiebant limina portæ,
Sperantes hinc poſſe manus euadere Achiuûm,
Ad ſtygias tenebras demittebantur ab hoſte,
Hæc qui belligeris obſederat ante maniplis.
Excuſſus ſomno quidam ſine veſte, ſine armis,
Dum vitare ſtudet flammas, incurrit in enſes.
Cęditur hic iaculo fixus: cadit ille ſagitta,
Sternitur hic alius Balearis verbere fundæ,

E lecto ſurgens alius, gladiumq́ requirens,
Incidit infeſtæ quam non ſperauerat haſtæ.
Hic alius latitans tecti in penetralibus, hoſpes
Exiſtens, hoſtem verbis compellat amicis,
Eſſe putans illum veterem ſibi ſtultus amicum,
Sed non cum veteri iam congreſſurus amico,
Xenia quæ meruit tulit, interemptus ab illo.
In lecto quidam dum non videt omnia circum,
Concidit emiſſo traiectus pectora telo.
Aſt alius Baccho plenus, trepidante tumultu,
Dum feſtinanter nimium deſcendere tentat,
Scalarum oblitus, præceps ruit e tabulatis.
Protinus infelix artus confractus, & oſſa,
Vertebasq́, teres qua collum ſpina coërcet,
Eructat cum vino animam. Multiq́ frequentes
Dum pugnant, rigidumq́ rotant non ſegniter enſem,
Occubuere ſuper confuſæ ſtragis aceruum.
Turpiter at multi Graio à victore fugati,
In durum cecidere ſolum, de turribus altis
Poſtremum ſaltum ſaltantes Ditis ad oras.
Non pauci vt fures, clam per deſerta locorum,
Hanc tempeſtatem belli euaſere, ſuosq́
Vrendos Graio liquerunt igne penates.
Complures freti cæcæ caligine noctis,
Quum non auderent Græcis opponere frontem,
Nec poſſent vitare fuga crudelia fata,
Inter ſe mortem cuncti occubuere viciſſim.
Vrbs orbata viris, & ſtrage repleta recenti
In nulla effuſum capiebat parte cruorem.
Nulla erat Inachidis pietas inſania multa,
Namq́ manu vrgentes nocturni tela tumultus,
Abſque metu paſſim vaſtabant omnia flammis.
Sanguine fœdantes veneranda altaria Diuûm,
Mactabantq́ ſenes indigna morte, genuq́
Supplicibus manibus tangentes hoſtis: ab ipſis
Vberibus raptos matrum, ignarosq́ loquendi,
Infantes etiam iugulabant ante parentes,
Infantes quamuis patrum delicta piabant
Inſontes: puero dum porrigit vbera mater,

Cum puero tenues animam diffundit in auras.
Quædam clamabat coniux me interfice ferro,
Ne data penſa traham dominæ ſubiecta Lacænæ:
Aut me Tydides captiuam ducat ad Argos,
Aſcendatq́ meum victor de nocte cubile.
Hæc laqueo collum fregit, bibit illa cicutam:
Non paucæ ex altis ſe deiecere feneſtris,
Ne poſitum aſpicerent collum venale ſub haſta.
Collectæ vero volucres hinc inde rapaces,
Atque canes aliunde alij, per tecta, per vrbem,
Conuiuæ pariter terreſtres, aërijq́,
Cęſorum tetrum potarunt ore cruorem,
Horrendumq́ cibum carpſerunt: gutture hianti
Latrantes alij, ſpirabant vulnera, cædes:
Latrantes alij lugebant, & dominorum
Immites auido laniabant viſcera morſu.
Dum ſic res agitur, dum ſic pugnatur vtrinque,
Nec Teucro cedit Graius, nec Teucer Achiuo,
Deiphobi recto properabant tramite ad ædes
Dux Laertiades, & Dux Menelaus Atrides,
Ambo lupis ſimiles, qui ventre vrgente, profundis
Saltibus egreſſi, brumali nocte bidentes
Incuſtoditas laniarunt ore, deinde
Cum præda ad catulos, & luſtra obſcura profecti,
Liquerunt lacrymas paſtoribus, atque querelas.
Sic etiam reges pugnando fortiter ambo
Cum populo innumero, multos congredier auſos,
Ad nigrum miſere Chaos. Noua pugna, nouiq́
Armorum ſtrepitus ſurgebant, atque tumultus:
Huc etenim clari ciues, ſocijq́ coïbant,
Deiphobi Graios cupientes pellere tectis;
Cominus audebant multi confligere ferro,
Eminus aërię multi de culmine turris
Iactabant vaſtasq́, ſudes, fractosq́ molares.
Quis cladem referat fando? quis vulnera dicat?
Quis tot pręclaros obitus? quis funera vulgi
Explicet? aut belli poſſet numerare labores?
Plurimus hic illic gladio mactatur & haſta,
Atque per amborum parteis Mors ſæua vagatur,
Nunc

Nunc hos, nunc illos trudens ad Tartara falce.
Exarſere animis Menelaus, & acer Vlyſſes,
Et caput armati galeis, & pectora ſcutis,
Telorum quamuis plueret denſiſſimus imber
Deſuper, & ciues obſtarent vndiq;, in ipſam
Irrupere domum; poſtes perfregit Vlyſſes:
Armatum vero Atrides aliunde ſecutus,
Deiphobum celer excepit, mediamq; per aluum
Enſem tranſadigens, hepar, inteſtinaq; fudit:
Sic miſer oblitus famæ, & virtutis auitæ
Deiphobus confoſſus humi ſine honore iacebat.
Sponte ſua ſequitur bello acquiſita maritum
Tyndaris, & lęto nunc gaudet fine malorum,
Nunc eadem dolet, & longo velut excita ſomno,
Clam ſecum luget, patriæ memor, atque ſuorum.
Pyrrhus Achilleides multorum cæde cruentus,
Confectum bello Priamum, ſenioq; trementem,
Aulai e medio traxit barba, atque capillo,
Dein Iouis Hercæi ſacram mactauit ad aram,
Vlciſens Helenæ opprobrium, cędemq; parentis.
Non exaudiuit lacrymas, nec verba precantis,
Ad Pelei aſpiciens æquali tempore canos,
Aut tanti regis ſortem eſt miſeratus acerbam,
Cui quamuis ſæuus tamen ante pepercit Achilles,
Vt qui debuerat ſimili poſt ipſe perire
Interitu, ante ſacram veracis Apollinis aram.
Delphicus aggreſſus quando ipſum miles, vt hoſtem
Sacrati templi gladio transfixit acuto.
Dulichij Herois manibus (miſerabile fatum)
Aſtyanacta parens deiectum e culmine turris,
Vnde pater Priamus pugnas ſpectare ſolebat,
Andromache largos oculis ſtillantibus imbres,
Flebat, & immites Superos, & fata vocabat.
Caſſandram Aiacis natus violauit Oili
Palladis in templo, & Diuæ ſimulachra tenentem:
Abnuit auxilium vati Dea Pallas, at ipſam
Vnius ob noxam, cunctos mulctauit Achiuos,
Diſiecitq; rateis, & iacto fulmine ab alto
Aethere, raptorem ſcopulis infixit acutis.

Clam Venus Aenean, feſſumq́; ætate parentem
Suſtulit Anchiſen, cladem miſerata ſuorum,
Et procul à patria, & patriæ fatalibus aruis,
Italiæ fecit reges, lateq́; tyrannos:
Sic etenim certo firmarant fœdere Parcę
Non ſine conſilio ſummi Iouis, atque Deorum,
Vt Veneris natis, clarisq́; nepotibus eſſet
Aeternum imperium, & Latiæ ſine fine ſecures.
Dîs par Antenor tota cum prole, minoris
Auxilio Atridæ, Phrygiæ diſceſſit ab oris
Tutus ad Illyricas ſedes, fontemq́; Timaui.
Non etenim in charos gratus Menelaus amicos,
Hoſpitis eſt æqui, & menſæ oblitus opimæ,
Ipſum qua excepit mitis matrona Theano.
Laodice infelix vaſto telluris hiatu
Es rapta e patria terra Phlegethontis ad vndas:
Nec te Theſides Achamas, aliuſue Pelaſgus
Captiuam abduxit Spartam, ditesq́; Mycenas.
Non ego tot belli poſſum numerare labores,
Muſarum hic labor eſt: ego vero carmen vt ipſum
Cornipedem impellam, properans contingere metam.
Leucothoe interea fuſcis inimica tenebris,
Paulatim albeſcens, aurabat lumine terras,
Atque atram pariter noctem, ſtellasq́; fugabat.
Græci exultantes ſucceſſibus, atque trophæis,
Sanguineo partis bello, duroq́; labore,
Vrbem luſtrabant, quiſquam ne forte lateret,
Effugiens cędem popularem, & ſpicula Mortis.
Multi adeo capti in tectis, cęcisq́; latebris,
Vt rete, aut hamo piſces in gurgite ponti,
Deuincti poſt terga manus agebantur ad æquor.
Tum vero e domibus gazas rapiebat Achiuus
Victor, & e templis pulchra ornamenta Deorum:
Nec pauca e thalamis tollens monimenta relictis,
Iliadas matres miſera cum prole trahebat
Ad naues, eſſent finiti vt præmia belli.
Poſthæc vxerunt flammis crepitantibus vrbem:
Quam trifido telo maris arbiter Ennoſigeus
Mœnia concutiens, fundo diſiecit ab imo.

Illa Deûm fabricata manu ſic diruta Troia,
Laomedontiadis facta eſt commune ſepulchrum.
Aſpiciens Xanthus prædantes Pergama flammas,
Emiſit lacrymas, & mox ſe condidit vndis.
Pulchra ſed Aeacidæ mactata Polyxena ad vrnam,
Sanguine placauit ventos, iramq́; ſuperbi
Pelidæ: Iliacas ſortiti deinde puellas,
Diuiſere ſibi raptas ad littora prædas,
Quas vbi non ſegnes nautæ impoſuere carinis,
E Troiæ læti ſoluerunt littore Achiui.

AD RANVTIVM FARNESIVM PARMÆ, ET PLACENTIÆ PRINCIPEM SERENISS.

DECVS *meum* RANVTI
In ore ſeſſitare
Cuius Suada gaudet,
Aſtrea virgo pectus
Communit, & penates:
Themisq́; præſes æqui
A te, tuisq́; ſceptris
Nunquam (quod ipſe noui)
Latum recedit vnguem.
Si lectus eſt Coluthus,
Et virginis Lacęnæ
Raptus, Phrygisq́; præda
Aduecta naue Troiam:
Nunc oro te per ipſas
Muſas tibi fauenteis,
Lauri legas ſub vmbra,
Tectiſue ſub paternis
Aegyptium poetam.
Qui cum lepore ſcribit,
Et laude glorioſa
Priami Duces peremptos,
Et Ilium peruſtum
Græco igne, & arte Graia.

Peluſius magiſter
Tuus, tuusq́, vates
Tibi, tuoq́, fratri
Grateis aget trecentas,
Et pro ſalute patris
Supplex Deum rogabit.

F I N I S.

Errores corrigendi.

Pag. 15. pro chlena lege chlęna *Apud Coluthum.*
Pag. 19. pro ſparſe lege ſparſæ